

Universitätsbibliothek Wuppertal

Pvb. Virgilio Maronis Bucolicorum Eclogæ X, Georgicorum Libri III, Æneidos Libri XII

Vergilius Maro, Publius

Genevæ, M.DC.XXXVI.

Pvb. Virgilio Maronis vita per Maurum Servium honoratum, grammaticum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-548](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-548)

IN SERVIVM HONORATVM A PET.
DANIELE IVRISCONS. ET ANTIQVARIO
doctiff. restitutum.

SERVIVS antiquo puduit spoliatus honore,
Tam maculatus erat, tam mutilatus erat.
Nunc ubi persentit fato meliore lacunas
Expleri innumeras, & decus arte dari:
Gaudet HONORATI cognomine dignus, & olim
Qui facile rubuit, posse rubere negat.

IURETVS

PVB. VIRGILII MARONIS VITA PER
MAVRVM SERVIVM HONORATVM,
Grammaticum.

VIRGILII vita hæc est. Ortus fuit patre Virgilio, matre vero Maia,
fuit ciuis Mantuanus, quæ ciuitas est Venetiæ; diuersis in locis literis
operam dedit, nam & Cremonæ & Mediolani & Neapoli studuit.
Adeo autem verecundissimus fuit, vt ex moribus cognomen acciperet, nam
dictus est Parthenias omni vita probatus; vno tantum morbo laborabat, nam
impatiens libidinis fuit. Primum à Virgilio hoc distichon factum est in Ba-
listam latronem:

*Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus,
Nocte dièque tutum carpe viator iter.*

Scriptit etiam octo libros hos, Citinam, AEthnam, Culicem, Priapeiam, Ca-
talecton, Epigrammata, Copam, Diras. Postea ortis ciuilibus bellis inter
Antonium & Augustum, Augustus victor, Cremonensium agros, qui pro An-
tonio senserant, dedit militibus suis, qui cum non sufficerent, his addidit a-
gros Mantuanos, sublatos non propter ciuium culpam, sed propter vicini-
tatem Cremonensium, vnde ille in Bucolicis,

Mantua va misera nimium vicina Cremona.

Amisissis ergo agris Romam venit, & vsus patrociniò Pollionis & Mæ-
cenatis, solus agrum quem amiserat meruit; Tunc ei proposuit Pollio vt
carmen bucolicum scriberet: Quod eum constat triennio scripsisse & emen-
dasse. Item proposuit Mæcenas Georgica, quæ scripsit emendauitque septem
annis. Postea ab Augusto AEneidem propositam scripsit annis xi. Sed nec
emendauit nec edidit, vnde eam moriens præcepit incendi. Augustus vero, ne
tantum opus periret, Tuccam & Varrum hac lege iussit emendare, vt super-
flua demerent, nihil adderent tamen, vnde & semiplenos eius inuenimus ver-
ficulos, vt *Hic cursus fuit*: & aliquos detractos, vt in principio. Nam ab ar-
mis non incepit sed sic,

VIRGILII VITA.

Ille ego qui quondam gracili modulatus auena
 Carmen, & egressus siluis vicina coegi,
 Ut quamuis auido parerent arua colono,
 Gratum opus agricolis: At nunc horrentia Martis
 Arma virumque cano.

Et in secundo constat hos versus esse detractos.

Aut ignibus agra dedere.

Iamque adeo super vnus eram, cum limina Vestae
 Seruantem, & tacitum secreta in sede latentem,
 Tyndarida aspicio: dant clara incendia lucem,
 Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
 Illa sibi infestos euersa ob Pergama Teucros
 Et poenas Danaum, & deserti coniugis iras
 Præmetuens Troiae & patriæ communis Erynnis
 Abdiderat sese, atque aris inuisa sedebat,
 Exarsere ignes animo, subit ira cadentem,
 Vlterius patriam & sceleras sumere poenas,
 Scilicet hæc Spartam incolumis patriasque Mycenæ
 Aspiciet, partoq; ibit regina triumpho,
 Coniugiumque domumq; patres natosq; videbit,
 Iliadum turba Phrygius comitata ministris,
 Occiderit ferro Priamus, Troia arserit igni
 Dardanium totiens sudavit sanguine litus,
 Non ita, namque etsi nullum memorabile nomen
 Fœminea in poena est, habet hæc victoria laudem,
 Extinxisse nephas tamen, & sumpsisse merentis
 Laudabor poenas, animumq; explese iuuabit
 Vlterius flamma, & cineres sacrasse meorum:
 Talia iactabam & furiosa mente ferebar,
 Cum mihi se non ante alias.

Periit autem Tarenti in Apuliæ ciuitate, nam dum Metapontum cupit videre, valetudinem ex Solis ardore contraxit. Sepultus est autem Neapoli, cuius tumulo ab ipso compositum est tale distichon:

*Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
 Parthenope, cecini pascua, rura, duces.*

ERV-